Statuta

Capituli

Ecclesiae Cathedralis

Culmensis

Pelplini

existentis.

Manuscriptum impressum.

Statuta
Capituli
Ecclesiae Cathedralis
Culmensis
Pelplini
existentis.

Capitulo Cathedralis Ecclesiae Culmensis conventione inter Summum Pontificem Pium VII. et Augustissimum Regem Fridericum Guilelmum III. anno MDCCCXXIV. tertio Nonas Augusti restaurato et Culmsea Pelplinum translato, Praelatis ejusdem, Praeposito scilicet ac Decano, et Canonicis numerariis curae erat, ut ea omnia, quae Capitulo Ecclesiae Cathedralis Culmensis demandata sunt et quae in Bulla Pontificia „De salute animarum“ anno MDCCCXXI. postridie Idus Julii Romae edita, eodemque anno ante diem decimum Calendas Septembris a Serenissimo Rege clementissime sancita, pro ordinando novo et circumstantiis magis accommodato Capitulorum Cathedralium Regni Borussici statu generatim praescripta reperiuntur, debito ordine et accurate peragerentur. Sufficiet, brevi catalogo consignare ea, quae in hunc finem, annuente Reverendissimo Episcopo, de personis, de rebus et negotiis tam divinis et sacris, quam temporalibus a Capitulo gerendis, capitulariter statuta, ordinata et decreta sunt et observantur vel modo statuuntur.

CAPUT I.

De Capitulo et Personis.

§ 1.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Culmensis juxta Bullam: „De salute animarum“ duas in posterum dignitates, nimirum Praepositi et Decani, octo Canonicos residentes sive numerarios, et quatuor honorarios continebit. Porro ad idem sex Vicarii spectabunt.

Ad memoratas vero Dignitates et Canonicatus assequendos quilibet ornatus esse debet requisitis sequentibus, nempe: quod majores sacros ordines susceperit, utilemque Ecclesiae operam saltem per quinquennium navaverit, vel in animarum cura exercenda aut adjuvanda sese bene promeritum praestiterit, vel Theologiae aut Sacrorum Canonum Professor extiterit, vel alicui in Regno Borussico existenti Episcopo in Dioecesanae administrationis munere inservierit, vel demum in Sacra Theologia aut in Jure Canonico Doctoratus lauream rite fuerit consecutus. Caeterum vero cujuscunque conditionis ecclesiasticae viri ad Dignitates et Canonicatus aequali jure sunt promovendi.

In eligendis Dignitatibus et Canonicatibus secundum ea, quae laudata Bulla definivit, procedendum, nec tamen fas est, ut aliquis, sive sit Dignitarius sive Canonicus, formaliter institui aut in plenam dignitatis suae praebendaeve possessionem immitti possit, nisi prius protulerit haecce:

a) papalem sive episcopalem provisionem in originali et in copia;
b) una cum priori instrumentum nominationis regiae in originali et in copia;
c) testimonium natalium;
d) curriculum vitae;
e) litteras formatas de suscepto ordine presbyteratus;

et installationem canonicam a Capitulo in scriptis petierit. Originalia instrumenta postea remittenda sunt petentibus, copiae vero ad Acta Capituli retinendae. Praepositi installatio fit a Decano, Decani autem caeterorumque Canonicorum a Praeposito (cfr. § 32).

§ 2.

Nulli Dignitario aut Canonico praeter Cathedralem praebendam etiam beneficium parochiale licet possidere, salva tamen dispensatione Summi Pontificis. Si quis igitur Parochus promovetur ad Dignitatem aut Canonicatum Cathedralis Ecclesiae, vacat eo ipso beneficium hucusque ab ipso possessum a die installationis; si vero praebendario Cathedralis Ecclesiae parochia quaedam conferretur et ab ipso acciperetur, hac accepta praebendam amittat, nisi Sedes Apostolica cum eo dispensaverit.

§ 3.

Praepositura, quae major post Pontificalem Dignitas, primum locum tenet, secundum Decanatus, quem primus et secundus Canonicus numerarius, quos caeteri sex Canonici numerarii secundum installationem, non secundum numerum Canonicatus sequuntur, hisce succedunt Canonici honorarii item secundum installationem.

Episcopus Suffraganeus in processionibus praecedit Dignitates et Canonicos, in Choro autem et in Capitulo locum obtinet suo Canonicatui proprium.

Praepositus caput est Capituli et ad eum pertinebit cura rerum omnium capitularium, exceptis iis, quae mere ecclesiastica concernunt et Decano sunt tributa.

Secundarium locum habet Decanus, cujus est: regere et inspicere cultum divinum et servitium chori in Ecclesia Cathedrali et invigilare, ut personae tam ecclesiasticae quam laicae, quarum

hoc negotium interesse debet, munera sua bene obeant, iisque conformem gerant vitam. Qui, si quem Capitularium aut officii immemorem aut in culpam aliquam deprehenderit collapsum, secreto hunc moneat, et nisi resipuerit, Capitulo eum denunciet. In Clerum secundarium et ecclesiae ministros ipse verbis correptionis procedat, et inobedientes Capitulo mulctandos denunciet. Ejusque est Decani, Vicarios cathedrales omnesque alios Ecclesiae inservientes introducere in officia sua.

Praepositus cum Canonicis provisoribus, e gremio Capitularium quotannis eligendis, rebus pretiosis, sacris vasis, paramentis et ornamentis, instrumentis musicis, linteaminibus et supellectilibus custodiendis, mundandis et resarciendis probe invigilent, harumque rerum Inventarium, ut sit rite conscriptum semperque completum, curent.

§ 4.

Unus Canonicatus semper reservandus est Praesidi sive Regenti Seminarii Dioecesani Clericalis.

Quem supra laudata Bulla Theologum dicit, eum esse intelligendum, qui secundum hujus terrae morem Ecclesiae Cathedralis Concionator vocatur, vix opus est dictu.

Canonicis, quibus secundum praelaudatam Bullam Reverendissimus Episcopus per decretum Concionatoris et Poenitentiarii munus injungit, huic se ordinationi subducere non licet, attamen finito decennali spatio emeritorum palmam accipiant.

§ 5.

Quilibet ex Canonicis honorariis in Capitulum coaptandus sumendus erit ex numero Archipresbyterorum animarum curam in dioecesi laudabiliter exercentium. Si quis vero hujusmodi Decanatum relinquat, aut ab eo dimittatur, Canonicatu quoque honorario privetur, nisi forsan a Reverendissimo Episcopo hac lege solvatur.

§ 6.

Sigillum, quo utitur hactenus Capitulum, et insigne distinctorium, retineantur. Illud exprimit crucem in rota, hoc autem est crux aurea radiis et vitro metallico ornata, referens in medio ab altera parte imaginem SS. Trinitatis, ab altera crucem in rota, pendens in torque aureo, quod in usu fuit in priori Cathedrali Culmsae.

Si Episcopus agit quaecunque Pontificalia, Capitulares induti sint modo sequenti, et ei assistentes sub dalmatica non humerali et alba, sed rochetto cum mantelletto.

§ 7.

Per hebdomadam induitur vestis talaris simplex, superinduitur semirochettum cum palaedra, hieme vero superinduitur vestis, quae szuba vocatur. Diebus vero dominicis a Dominica III. post Pascha usque ad Dominicam praecedentem festum Omnium Sanctorum ad Missam conventualem, et omnibus solemnioribus Festis per annum, et quoties Reverendissimus Episcopus Pontificalia agit, defertur rochettum cum mantelletto, quibus additur collare sic dictum romanum.

Haec solemniora Festa sunt:

1. Immaculatae Conceptionis B. M. V.,
2. Nativitatis D. N. J. Chr.,
3. S. Stephani,
4. Circumcisionis D. N. J. Chr.,
5. Epiphaniae,
6. Purificationis B. M. V.,
7. Feria III. precum 40 horarum ad Vesperas,
8. Feria IV. Cinerum ad Missam conventualem,
9. Annuntiationis B. M. V.,
10. Dominica Palmarum ad Missam conventualem,
11. Feria V. in Coena Domini,
12. Feria VI. Parasceves,
13. Sabbato Sancto ad processionem,

14. Dominica et feria II. Resurrectionis D. N. J. Chr., idque ad totum officium,
15. Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ad totum officium,
16. Ascensionis D. N. J. Chr., ut antea sub nro 15,
17. Dominica et feria II. Pentecostes, item ut sub nro. 15,
18. Solemnitatis Corporis Christi a primis Vesperis Festi usque ad secundas Vesperas Octavae,
19. SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut sub nro. 15,
20. S. Laurentii, item,
21. Assumptionis B. M. V., item,
22. Nativitatis B. M. V., item,
23. Omnium Sanctorum, item,
24. Die natalium Serenissimi Regis.

In Festis sub No. 1—6 incl. et No. 9 licet superinduere vestem dictam szubam.

Vestis solemnis extra ecclesiam est schamara cum patagio et manicis.

§ 8.

Dignitatibus et Canonicatibus singulis singulae sunt assignatae curiae cum pertinentibus, hortique etiam in usum peculiarem. Dignitatum curiae sunt stabiles, reliquarum autem curiarum Canonicis secundum senium Capituli optio datur. Quoad reparanda aedificia ac sepimenta, quae et illa et hortos circumcludunt, quivis usufructuarius tenetur:

a) sepimenta hortorum sarta servare [1]) nec non minorem reparationem aedificiorum sepimentorumque aedificia circumcludentium suis sumptibus perficere;
b) quodsi nova sepimenta aedificiorum [2]) exstruenda sunt, exstructio eorum sumptibus cassae Capituli perficitur;

---

[1]) cfr. infra ad c).
[2]) et hortorum.

c) pro reparatione minori habenda est, quae aut nullas expensas requirit, aut in quovis singulari casu tres taleros non excedit;

d) reliquae omnes reparationes sumptibus cassae Capituli perficiuntur: quodsi vero constet, usufructuarium minores reparationes efficiendas neglexisse, indeque majores exortas esse, hae quoque sumptibus usufructuarii perficiendae sunt.

e) Quotannis mense Aprili per duos Praelatos aut Canonicos per turnum status aedificiorum et Capitularium et Vicariorum, Choralistarum et Ministrorum ecclesiae inspiciendus et de eo ad Capitulum referendum est, ne resarciendorum reparatio differatur.

f) Quodsi a Canonico quocunque aliae aedes per optionem electae fuerint, aedificia, quibus eousque usus fuit, non minus sepimenta hortorum etc. in eo, quo par est, statu retradenda et interni parietes, nisi diversis coloribus ornati fuerint, sumptibus ipsius dealbandi sunt.

g) Quodsi quis Praelatorum aut Canonicorum e vita discedat, aedificia. quibus usus est, et sepimenta hortorum aedificiaque circumcludentia impensis ex bonis ipsius post mortem remanentibus depromendis modo supra dicto reparanda sunt. Si vero ejusmodi restaurationi perficiendae Capitulum operam tribuerit, expensae factae capitulari cassae restituendae sunt.

h) Si quis Canonicorum modo sub f. descripto alias aedes per optionem elegerit, ipsius est, aedificiorum, quibus antea usus fuit. tutelam gerere, donec successori tradantur; per quod tempus ipsi competit jus percipiendi fructus horti illis aedificiis adjacentis, attamen adaequatam summam pecuniae censualis cassae capitulari exsolvere tenetur.

i) Si quis Praelatorum aut Canonicorum e vita discesserit, Capitulum instituat Curatorem, cujus est aedificia sepimentaque hortorum etc., quibus defunctus usus est, modo sub numero g. dicto, restaurare, eorumque tutelam usque ad adventum successoris gerere; per quod tempus fructus horti ad illa aedificia pertinentis gratis percipit.

§ 9.

Reditus praenumerando Dignitatibus et Canonicis pro trimestri solvuntur; annus gratiae non conceditur haeredibus defuncti, cessantque reditus eo trimestri, quo praebendarius morte est functus. Reditus vacantium Praelaturarum et Canonicatuum, sive sic dicti fructus intercalares in aerario Capituli ita reserventur, ut ex iis communes administrationis expensae aliaeque Capituli necessitates possint solvi.

§ 10.

Administratio mansi seu praedii Pelplinensis ad dotationem Capituli pertinentis fiet, nisi elocetur, ab uno specialiter eligendo Capituli membro, et ratiocinia[1]) ad summum vigesima Januarii pro praeterito anno cum 11ma Novembris finiente, ad revidendum et approbandum proponantur Capitulo. Huic Administratori tanquam remuneratio[2]) conceditur:

a) si tenet proprios equos, pro duobus equis idem pabulum, quod equis dari solet in praedio;
b) si proprios equos non tenet, habeat liberam dispositionem super duobus equis praedialibus in omnibus negotiis oeconomicis.

§ 11.

Omnium Capituli facultatum ratiocinium finito anno ad summum 20ma Februarii revidendum et approbandum a rationario Cassae quotannis proponatur.[3])

[1]) Ratiocinia pro anno praeterito exhibenda sunt Capitulo post diem 1. Julii.
[2]) Administratori conceditur remuneratio 600 marcarum pro anno.
[3]) Ratiocinia pro anno praeterito proponenda sunt post diem 1. Aprilis.

CAPUT II.

A. De ordine Officii Divini servando.

In Ecclesia nostra Cathedrali Culmensi sequens ordo in Officio Divino servetur.

§ 12.

Matutinum incipit omnibus diebus per annum hora sexta matutina, quod immediate praecedunt Psalmi graduales et sequuntur Psalmi poenitentiales et Officium defunctorum, quandocunque in rubricis praescribuntur.

Excipiuntur tantum: 1) Matutinum Nativitatis D. N. J. Christi et SS. Corporis Christi, quod hora quinta incipit, et 2) Matutina tenebrarum, quae pridie hora quarta vespertina absolvuntur.

Prima jungitur Matutino, exceptis tribus ultimis diebus Majoris hebdomadae, quia tunc jungitur Tertiae. Tertia et Sexta absolvuntur hora nona matutina, exceptis diebus dominicis et Festis fori seu ad populum, quia tunc absolvuntur hora nona et media, nec non diebus S. Marci et Rogationum, in quibus hora octava et media absolvuntur.

Sextam excipit Missa conventualis, quam sequitur Nona, exceptis diebus ferialibus in Quadragesima et diebus S. Marci atque Rogationum, nec non Octava Corporis Christi, quia tunc jungitur Sextae et ante Missam absolvitur.

Vesperae absolvuntur hora tertia pomeridiana, quas immediate sequuntur Vesperae defunctorum, quando juxta rubricas altera die Matutinum pro defunctis dicendum est. In Quadragesima dicuntur — extra diem dominicam — immediate post Missam conventualem.

Completorium absolvitur hora tertia pomeridiana, exceptis diebus, in quibus Officium tenebrarum dicitur, quia tunc immediate ante dictum Officium absolvitur.

In solemnitate SS. Corporis Christi absolvuntur secundae Vesperae hora quarta pomeridiana. Post Completorium absolvitur Matutinum pro defunctis, si sequenti die Anniversarium sit celebrandum.

B. De his, quae in choro cantantur.

§ 13.

Diebus dominicis et festivis ad populum inclusive Vesperis et Completorio praecedentis diei cantatur Matutinum usque ad secundum Nocturnum exclusive, omnes lectiones, Te Deum laudamus et Laudes. Idem fit in Officio tenebrarum, nec non in Officio defunctorum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Praeterea cantantur Tertia et Vesperae cum Completorio. Notandum tamen est, quod in omnibus Festis, in quibus a Canonico hebdomadario Officium matutinale celebratur, septima et octava lectio a duobus Canonicis junioribus, nona lectio ab Hebdomadario cantatur.

C. De Processionibus.

§ 14.

Processiones omnibus diebus dominicis, et quandocunque in rubricis praescribuntur, fiunt immediate ante Missam majorem, exceptis:

a) Processionibus in die S. Marci, diebus Rogationum et Commemorationis omnium fidelium defunctorum: hae enim immediate post Missam conventualem celebrantur;
b) Processione in festo Resurrectionis Domini; nam haec Sabbato Sancto triplici circulo hora septima vespertina modo in Rituali praescripto persolvitur;
c) Processionibus in Festo et per totam Octavam Corporis Christi, de cujus solemnitate sequens paragraphus loquitur.

D. De Festo SS. Corporis Christi.

§ 15.

Festum Corporis Christi incipit a primis Vesperis[1]). Celebrans pluviali cum ministris pariter indutis accedit ad altare majus, et tenens in monstrantia Sanctissimum versus ad populum canit: „O salutaris Hostia". Prosequitur Clerus hymnum: tum Celebrans intonat: „Uni Trinoque Domino", quo finito inchoantur Vesperae. Post Completorium fit Processio, qua finita Celebrans intonat: „Tantum ergo Sacramentum" et: „Genitori Genitoque". In ipso Festo celebratur Matutinum cum Prima hora quinta; hora septima et media populus ex Ecclesia parochiali, comitante Curato, cum vexillis accedit ad Ecclesiam Cathedralem, ubi mox fit concio lingua polonica, quam excipit Tertia, Sexta et Nona, quibus finitis Missa solemnis celebratur, in qua concio lingua germanica dicitur; deinde fit Processio, in qua canuntur a Canonicis initia SS. Evangeliorum:

primum ad curiam praeposituralem,
secundum ad curiam decanalem,
tertium ad curiam canonicalem penes Ecclesiam et
quartum ad parietem capellae Sanctissimi,

post quod concluditur Processio juxta praescriptum Ritualis.

Infra Octavam et in die Octavae quotidie fit Processio post Missam conventualem et post Vesperas; eodem ritu ut dictum est in primis Vesperis, cum hac tamen distinctione, quod „O salutaris Hostia" non ante Vesperas, sed ante Missam tantum canitur, et quod ultima Processio concluditur prout dictum est de solemni Processione in ipsa die. Per totam Octavam Vesperae cum Completorio cantantur.

---

[1]) Vide novissimum Rituale Culmense de hoc Festo celebrando.

E. De Officio Hebdomadarii.

§ 16.

Hebdomadarius sive Praelatus sive Canonicus incipit functionem suam a primis Vesperis Dominicae et finit eam sabbato sequenti ante Vesperas.

Hebdomadarius praesidet in choro eumque dirigit.

Ad eum spectat, diebus dominicis Missam, ut dicunt, majorem cantare. Diebus festis ad populum celebribus, quae in ejus hebdomada occurrunt, pluviali cum ministris indutus, ad aram majorem inchoat Matutinum, benedictiones et ultimam lectionem canit, illudque post Laudes concludit, Missam solemnem cantat et utrasque Vesperas cum ministris ad aram majorem absolvit.

Porro tenetur Processiones in ejus hebdomada juxta rubricas occurrentes, Anniversaria seu Memorias, Missas cantatas in casibus singularibus, Sacra pro Parochianis[1]) juxta Decretum Episcopale de die 3tia Decembris 1841, et alia omnia Officia ipse persolvere. Idem tenetur in Officio defunctorum pro Episcopo peragendo Invitatorium, Antiphonas, Psalmos inchoare et ultimam lectionem legere.

Cum praescriptum sit in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 37:

> „Aliquo die non impedito infra Octavam Defunctorum, arbitrio Episcopi, Canonicus aliquis seu Dignitas Ecclesiae Cathedralis celebrabit Missam pro animabus omnium Episcoporum et Ecclesiae Cathedralis Canonicorum defunctorum, cum paramentis nigris et caeremoniis, prout supra dictum est, cui Missae Episcopus praesens erit cum cappa, et in fine, si voluerit, poterit, immo debebit, deposita cappa et accepto pluviali, absolvere, prout dicitur capite praecedenti".

---

[1]) obsoletum.

Canonici hebdomadarii erit, hocce Anniversarium die 5ta Novembris, si non est impedita, alias die sequenti sub ritu ibidem Nro. 2—5 praescripto persolvere.

Ejusdem quoque erit, primam et ultimam Missam solemnem „Rorate“ in Adventu cum assistentia celebrare, nec non benedictionem aquae in Vigilia Epiphaniae post Nonam peragere.

CAPUT III.

De Interessentia in Choro.

§ 17.

Ad Interessentiam in Choro, et quidem in primis Vesperis, in Matutino usque ad Laudes inclusive, in Processione et Missa conventuali et in secundis Vesperis, Dignitates et Canonici obligati sunt in illis Festis solemnioribus et diebus ferialibus, qui § 7ma enumerati sunt; ad Matutinum vero non tenetur praesens esse Reverendus Canonicus Concionator illis diebus, quibus concionem est habiturus. Omnibus diebus dominicis per annum interessentia est in Processione, Concione et Missa conventuali; in diebus ferialibus in horis minoribus et Missa conventuali interesse iidem debent, nisi alias sint legitime impediti.

CAPUT IV.

De Vicariis Cathedralibus.

§ 18.

Quoniam Vicarii Cathedrales, quorum electio atque institutio est Reverendissimi Episcopi, Bulla saepius jam laudata sic definiente, ad absolvendum Officium Divinum vocati et instituti sunt, perspicuum est, eos et omnibus et singulis ejusdem Officii partibus interesse debere, et quidem ea modestia et gravitate, ut non tantum Deus laudetur, sed et populus, videns eos opus Dei devote et

decenter peragere, aedificetur et Patrem qui in coelis est glorificet. Igitur non properanter et syncopando, sed lente, distincte et tali voce legent et canent, ut ab omnibus in choro audiri et intelligi possint.

Eorum etiam muneris est, Psalmos graduales et poenitentiales cum Litaniis, nec non Officium defunctorum cum Vesperis, quotiescunque per rubricas praescribitur, hoc est prima die cujuslibet mensis, alioquin alia sequenti die officio novem lectionum non impedita, nec non omnibus feriis secundis in Adventu et Quadragesima similiter non impeditis, absolvere, et ad Anniversaria pertinentia Officia defunctorum, si in choro sint persolvenda, recitare, omnibusque Processionibus assistere.

In audiendis confessionibus omnibus Dominicis et Festis nec non Feriis, quandocunque adsint poenitentes, excepto solo Concionatore ante concionem, assidui erunt. Diebus vero dominicis et festivis saltem unus eorum ab hora 6ta usque ad 8vam mane in confessionali ad excipiendas confessiones praesens esse debet, quapropter in Officio matutino non intererit.

§ 19.

Ut autem omnia rite et secundum ordinem in Ecclesia Cathedrali peragantur, si numerus Vicariorum est plenus, designabuntur duo ex Vicariis, quorum unus Sacristiae, secundus Caeremoniis praeerit. Ad Sacristam pertinebit, omnino sub inspectione Decani, invigilare, ut ministri ecclesiastici suis obligationibus plene satisfaciant, ut in Ecclesia et Sacristia omnia munda sint, vasa sacra et linteamina nitida, ornamenta sacerdotalia integra, atque libri et universa suppellex bene composita et suis in locis occlusa, atque ne ullus sacerdos extraneus Missam in Cathedrali celebret, nisi licentia accepta a Praelato Decano.

Caeremoniarius seu Magister rituum curabit, ut non solum dum Reverendissimus Episcopus aut Suffraganeus solemniter celebrat aut S. Ordines confert, sed etiam in omnibus Festis solemnioribus § 7ma enumeratis, omnia stricte observentur.

Caetera officia atque munia Vicariorum in Decretis Reformationis de die 17ma Februarii 1835 et 3tia Decembris 1841, quae hisce Statutis in fine annexa sunt, speciatim sunt designata.

CAPUT V.

De aliis ecclesiasticis et capitularibus rebus.

§ 20.

Omnia, quae Cultum Divinum respiciunt, ita componantur, ut Ecclesia nostra Cathedralis in celebrandis rebus sacris caeteris Dioeceseos Ecclesiis exemplum praebeat, ideoque nullus cantus nisi sic dictus Gregorianus modo Romano tam ad altare quam in choro sit audiendus.

§ 21.

Dies festi, qui Reverendissimo Episcopo pro celebratione solemni in Pontificalibus sunt reservati, designantur sequentes:

1. Festum Nativitatis Domini,
2. „ Epiphaniae,
3. „ Purificationis B. M. V.,
4. „ Coenae Domini,
5. „ Paschatis,
6. „ Dedicationis,
7. „ Ascensionis,
8. „ Pentecostes,
9. „ Corporis Christi,
10. „ SS. Apostolorum Petri et Pauli,
11. „ S. Laurentii Lev. M., Patroni Dioeceseos,
12. „ Assumptionis B. M. V. et
13. „ Omnium Sanctorum.

§ 22.

Canonici honorarii ad residentiam personalem non sunt obligati; si vero adsunt, Officiis sacris in stallo eis assignato, iisdem quibus Canonici numerarii vestibus ecclesiasticis induti, interesse debebunt.

§ 23.

Capitulum, quoties postuletur, Reverendissimo Episcopo administrationis suae rationem reddat.

§ 24.

Reverendissimo Episcopo vel gravi morbo laborante vel defuncto, pie religioseque ea peragantur, quae circumstantiis maxime conveniunt. S. Sacramenta vel a Praeposito vel a Decano, comitantibus duobus Canonicis ordine primis, ipsi administrentur. Morbo ingravescente preces pro recuperanda salute aegroti ex ordinatione Capituli in Ecclesia Cathedrali et ex ordinatione Vicarii in spiritualibus Generalis in tota Dioecesi fiant.

§ 25.

Campanarum Ecclesiae Cathedralis sono funus indicetur, quo audito et Ecclesiae parochialis campanae pulsentur per integram horam.

Idem fiat diebus sequentibus mane, meridie et vespere usque ad sepulturam.

Die exequiarum, cantato prius Officio defunctorum, Missam solemnem de requiem in Pontificalibus celebrabit Episcopus Suffraganeus, eo impedito Missam solemnem Praepositus vel Decanus celebret, et post hanc fiat conductus solemnis. Idem valet de exportatione.

§ 26.

Mortem Episcopi Capitulum sine mora nuntiet universo Dioeceseos Clero atque mandet, ut in omnibus Ecclesiis pro defuncto Praesule exequiae solemnes fiant et a quovis sacerdote in refrigerium

animae ipsius una Missa celebretur. De obitu Episcopi etiam a Capitulo sine mora tam ad Summum Pontificem et ad Archiepiscopum Gnesno-Posnaniensem et ad caeteros Episcopos totius Germaniae, quam ad Augustissimum Regem et Ipsius Ministrum circa res sacras et ad Praesidem Provinciae Borussicae referendum est.

§ 27.

Sede Episcopali vacante, si non aderit Coadjutor Episcopi defuncti cum spe succedendi canonice electus et confirmatus, Capitulum secundum canones intra octiduum ab obitu Episcopi constituat Vicarium Capituli et Administratorem Dioeceseos Generalem, cujus electionem indicabit Sedi Apostolicae, Archiepiscopo Gnesno-Posnaniensi simulque Summo Regimini civili, qui Dioecesin regat in spiritualibus et temporalibus secundum canones, ita tamen, ut ab omni rerum novarum studio alienus, suo tempore rationis reddendae obligationem subeat, et qui custodiam et curam rerum redituumque ad sedem Episcopalem spectantium quoque habeat, donec novus Episcopus inthronizatus fuerit.

Bonorum ad mensam Episcopalem pertinentium singularis Administrator, qui et Oeconomus dicitur, a Capitulo e gremio suo est eligendus.

Mensae Episcopalis vacantis quartam partem pro salario accipiet Vicarius Capituli, quod restat reservabitur secundum canones neoelecto Episcopo.

§ 28.

Ut novi Antistitis electio, quae est Capituli, feliciter peragatur, Capitulum per litteras encyclicas indicet preces publicas per totam Dioecesin habendas. Electio intra tres menses a die obitus Episcopi modoque per canones praefinito et servatis iis, quae in memorata Bulla „De salute animarum“ de hac re praecepta sunt, instituatur,

ad eamque Praelati et Canonici tam numerarii quam honorarii per speciales litteras singuli invitentur ac citentur.

§ 29.

Augustissimum Regem, perfecta electione instrumentisque ejusdem in authentica forma exaratis, Capitulum continuo rogabit, ut eam ratam habeat, Sanctamque Apostolicam Sedem, ut Electum confirmet. Litteris encyclicis Capitulum nuntiet confirmationem novi Antistitis Clero dioecesano, praecipiatque confirmatione subsecuta, ut in omnibus Ecclesiis pro felici electionis successu gratiarum actiones instituantur. In Ecclesia Cathedrali huic solemnitati et Clerus loci invitatus intersit, summumque Sacrum celebretur vel ab Episcopo Suffraganeo in Pontificalibus, vel a Praeposito Capituli vel a Decano.

§ 30.

Funus Praelati vel Canonici comitentur Reverendissimus Episcopus, si commode poterit, et Capitulares ac Vicarii, et qui munere suo vel ministerio Capituli vel Ecclesiae adjuncti sunt, nec non Alumni Seminarii Clericorum. Sacra funebria, praesente Reverendissimo Episcopo, perficiat Canonicus hebdomadarius, iisque intersint Capitulares et Vicarii atque Psalteristae, et tam Praelati et Canonici, quam Vicarii pro defuncto singuli Missam celebrent. Quae omnia gratis fiant, excepta remuneratione pro: Psalteristis, Sacristanis, Organario, quorum singuli duos thaleros accipiant, et Calcanistis, qui unum thalerum accipiant.

Funus Vicarii comitentur Praelati et Canonici ac superstites Vicarii. Sacra funebria peragat Canonicus hebdomadarius, iisdem intersint Capitulares et Vicarii et Psalteristae, et tam Capitulares quam superstites Vicarii pro defuncto Missam celebrent, omniaque haec gratis fiant.

§ 31.

Praeposito graviter aegrotante vel defuncto, ejus vices suppleat Decanus; hoc decumbente vel defuncto, id fiet a Canonico ordine primo.

§ 32.

Cui Praelatura vel Praebenda canonicalis delata est, is petiturus Institutionem canonicam in § 1ma memoratam, Capitulo exhibeat requisita, quibus probatis, die horaque constitutis, iisdem, quibus Praelati et Canonici induuntur, vestibus ecclesiasticis indutus ad aulam capitularem accedat, in quam per duos Canonicos ordine juniores introducatur et Capitulo praesentetur. Genuflexus versus Crucem Professionem fidei faciat promittatque, se legitima statuta, ordinationes et decreta Capituli fideliter servaturum esse. Quo facto a Praeposito, eoque impedito vel a Decano vel a Canonico ordine primo insignibus capitularibus ornetur et per impositionem biretti in possessionem immittatur, atque ita investito sedes in Capitulo assignetur. Investitum Decanus et duo Canonici ordine juniores ad chorum ducant installandum, Praeposito et reliquis Canonicis subsequentibus. Brevi oratione in infimo gradu summi altaris inter comites genuflectendo absoluta, ascendit ad altare et dicit imponendo manus ter: „protestor de pacifica possessione hujus altaris"; et deosculato altari descendit et a comitibus ducitur ad stallum in choro, in quo eadem facta protestatione paulisper sedendo possessionem capit, dein assurgit et praesentibus Praelatis et Canonicis inclinato capite facit reverentiam.

§ 33.

Neo-Vicarium Decanus in assistentia duorum Vicariorum ordine juniorum, praesentibus caeteris Vicariis, Psalteristis et Sacristanis, facta coram altari majori fidei Professione, promissaque reverentia et obedientia erga Praelatos et Canonicos, in chorum deducat et locum ipsi assignet.

§ 34.

Res omnes, quae ad Capitulum spectant, capitulariter peragantur. Itaque et ordinariae et extraordinariae sessiones, seu quae vocantur Capitula, in aula capitulari habeantur.

Feria quarta cujusvis hebdomadae vel, si incidat Festum fori, proxima feria sexta post Missam conventualem sit sessio ordinaria.

Capitulo congregato praesidet Praepositus, eoque impedito vel absente, Decanus, et hoc etiam impedito vel absente, Canonicus ordine primus.

Praeses Capituli tractanda proponit, consultationes moderatur, sententias rogat et curat, ut res gestae et conclusae accurate conscribantur.

Sessionibus Praelati et Canonici numerarii intersint vestibus canonicalibus ecclesiasticis induti, eorumque nemo absit, nisi legitime impeditus vel excusatus, omnemque operam singuli conferant, ut communes causae meliori quo fieri potest modo pertractentur.

Secretarii pro secretis munere fungatur in hisce sessionibus quivis Canonicus junior.

Salvis modestiae et reverentiae limitibus vigeat sententiarum dicendarum libertas et liberum cuique sit, pertractatis rebus a Capituli Praeside propositis, ea exponere, quae ipsi deliberanda videntur.

Si in sessionibus hora legitima tres Capitulares fuerint praesentes, Capitulum quidem erit legitime constitutum, ejusque conclusa caeteros obligant; cavendum tamen est, ne quid, pluribus vel absentibus vel impeditis, de rebus majoris momenti statuatur.

De re pertractata decidat suffragiorum pluralitas, votisque paribus, in quam partem iverit Praeses, ea praevaleat. Suffragia discrepantia tamen in protocollo notentur, et praeterea licitum est cuique discrepanti Capitulari votum a se scriptum dissentiens actis apponere.

§ 35.

De qua re in una sessione decerni non potuerit, ea vel in proxima, vel in extraordinaria sessione uberius explanetur, hujusque prorogationis mentio fiat in actorum commentariis. Extra hunc ordinem Capitulares tantum ex gravi causa, vel si res urget, convocentur.

§ 36.

Cuivis quoque Canonico liceat, re prius in scriptis exposita, Praepositum rogare, ut Capitulum habeatur, quod, si Praepositus bis recusaverit, consentientibus duobus aliis Canonicis Decanus convocet.

Quae ampliorem exposcunt indaginem, praevio examini singulorum aut aliquorum ad id deputandorum subjicienda sunt. Acta in sessionibus ab omnibus Capitularibus, qui interfuerint, subscribantur.

§ 37.

Omnia Capituli documenta litteraeque omnes, quibus agitur de rebus Capituli, ad Archivum deponantur, nec cui quidquam sine consensu Capituli exhibeatur. Claves Archivi a Praeposito asserventur.

Pelplini, Die anniversaria Translationis Cathedrae Culmensis III^tia^ Augusti MDCCCLII.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Culmensis.

(L. S.)

Dr. Herzog, Praepositus. *Joannes a Marwitz*, Decanus.
Stanislaus Dekowski, Eppus. Suffr. *Joannes de Donimierski.*
Franc. Larisch. Stanislaus Pysznicki. Franciscus Bonin.
Georgius Jeschke. August. Hildebrandt. Andreas Schoenke.

Canonici Numerarii Ecclesiae
Cathedralis Culmensis.

Anastasius

Miseratione divina et S. Sedis Apostolicae Gratia
Episcopus Culmensis
SS. Theologiae Doctor etc.

haecce antescripta, secundum formam S. Concilii Tridentini, a Capitulo Episcopali Nostro Venerabili, sub die tertia Augusti hujus anni, edita Statuta „Capituli Ecclesiae Cathedralis Culmensis, Pelplini existentis“, ad approbationem Nostram sub die 25. Augusti h. a. porrecta, in omnibus decretis, ordinationibus atque singulorum Statutorum punctis Auctoritate Nostra Nobis litteris Apostolicis „de salute animarum“ data, approbamus et confirmamus in nomine Domini ita, ut cum incidentibus aliquibus necessitatibus, vel futurorum temporum rationibus aliqua et quaecunque in hisce Statutis immutanda vel adjungenda vel etiam dilucidius explicanda essent, haec nonnisi Nostro et Successorum Nostrorum consensu fieri valeant.

In quorum fidem praesentes manu propria subscripsimus, sigilloque Nostro majori muniri fecimus in aedibus Nostris Episcopalibus Pelplini die Exaltationis S. Crucis anno Domini Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Secundo.

† **Anastasius.** (L. S.)

B. 47. Reiske.

Actum Pelplini in aula Capituli die XIIItia Octobris 1852.

In sessione Capituli habita die XXIIda Septembris destinatus fuerat hodiernus dies ad promulgationem Statutorum Capituli Ecclesiae

Cathedralis Culmensis Pelplini existentis, sub die Exaltationis S. Frucis h. a. ab Illustrissimo ac Reverendissimo Loci Ordinario Domino Anastasio approbatorum et confirmatorum. Idcirco et Canonici honorarii scilicet Dominus Rossolkiewicz Commiss. Episcopalis, Dec. emeritus et Parochus Gedanensis, Dominus Kościński, Dec. emerit., Parochus Czarnoviensis, Dominus Kolaczkowski, Decanus et Parochus Starogardiensis et Dominus Osmański, Commissarius Episcopalis, Decanus et Parochus Brodnicensis invitati fuerant: Dnus. Kościński vero sub die 2da h. m. et Dnus. Osmański sub die 7ma h. m. scriptis indicaverant, se morbo grassante Cholera in paroeciis suis prohibitos esse, Domini pp. Rossolkiewicz et pp. Kolaczkowski apparuerant.

Hora ergo decima post Missam conventualem congregati sunt in aula Capituli sequentes Capitulares:

1.	Dr. Eduardus Herzog, Praepositus,	
2.	Joannes a Marwitz, Decanus,	
3.	Joannes de Donimierski,	Canonici numerarii,
4.	Franciscus Larisch,	
5.	Stanislaus Pysznicki,	
6.	Franciscus Bonin,	
7.	Georgius Jeschke,	
8.	Augustinus Hildebrandt,	
9.	Andreas Schoenke,	
10.	Stanislaus Rossolkiewicz,	Canonici honorarii.
11.	Mathaeus Kolaczkowski,	

Eppus. Suffraganeus Dnus. Stanislaus Dekowski aegrotavit ideoque aberat.

A Praeposito promulgatio facta est Statutorum: ab initio usque ad finem simul cum verbis Approbationis et Confirmationis eadem scilicet sunt praelecta, qua cum praelectione simul declaratum est, Statuta abhinc vim habere, stricteque

esse observanda ab omnibus, ad quos spectent, quapropter Decani Reverendi fore, quantocyus ea quo ad passus concernentes Vicariorum commuuitati publicare.

Id quod fiet ab ipso.

De hoc actu haecce scripta, in protocollo hoc redacta, et ab omnibus subscripta sunt.

a. u. s.

Dr. Eduardus Herzog, Praepositus.
Joannes a Marwitz, Decanus.
Joannes de Donimierski, Canonicus numerarius.
Franciscus Larisch, „ „
Stanislaus Pysznicki, „ „
Franciscus Bonin, „ „
Georgius Jeschke, „ „
Augustinus Hildebrandt, „ „
Andreas Schoenke, „ „
Stanislaus Rossolkiewicz, Canonicus honorarius.
Mathaeus Kolaczkowski, „ „